

Kamil Kantak

"Bernardinus Gallellus de Jadra
vicarius et officialis generalis
Cracoviensis 1509-1517 ex actis et
documentis potissimum manuscriptis
deprompsit atque enarravit", Jan
Krzemieniecki, Cracoviae 1943 :
[recenzja]

Collectanea Theologica 16/2, 278-280

1935

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

RECENSIONES.

Krzemieniecki Joannes, Bernardinus Gallellus de Jadra vicarius et officialis generalis Cracoviensis 1509—1517 ex actis et documentis potissimum manuscriptis deprompsit atque enarravit. Cracoviae 1934.

Quisque annus novas nobis investigationes ex historia Ecclesiae Polonae affert, varii valoris, quae tamen plus vel minus accurate permittunt nobis melius introspicere tempora praeterita Ecclesiae nostrae patriae. Optime adhuc nota sunt tempora recentioris Medii Aevi, minus exeuntis s. XV et XVI, et quanto progredimur, tanto varia invenimus studia. Inter labores Medii Aevi finientis notabilem locum meretur opus d. Krzemieniecki, describens vitam et activitatem Bernardini de Jadra Gallelli.

Fuit hic natione Italus ex civitate Zadar (Jadra) Dalmatiae. In Poloniam venit a. 1488 vel 1489, annorum 20—25, actu presbyter. Frequenter tunc Itali apud nos fortunam quaerebant, Bernardinum probabiliter celebrer Callimachus in curiam cardinalis Friderici Jagellonis adduxit. Diversis beneficiis, i. a. canonicatibus Gneznensi et Cracoviensi potitus, primum egit secretarium cardinalis, post ab amico suo Joanne Konarski, episcopo Cracoviensi facto (1503—25), vicarius generalis et officialis nominatus, hoc munus usque ad finem vitae 1517 agens, probabiliter 5 Junii obivit. Sacerdos erat probus, officialis iustus et laboriosus, medium modum non excedebat, e. c. secundum morem temporis plura beneficia cumulabat. A humanismo non alienus, in vita intellectuali notabiliter non eminebat.

Potest quaestio oriri, an necesse erat de tali viro medii nivelli totum librum 230 paginarum scribere. Bene perspicendo, dicamus: utique, et bene d. Krzemieniecki fecit, opus suum conficiens. Imprimis pro diligenti inquisitione historica non sufficit excellentissimos et maximi valoris viros describere, opus est etiam cognoscere minores et minimos, qui demum totum „milieu“ efficiunt. Author suscepit laborem forsán primo intuitu non effectuosum, tamen eo utiliozem.

Adici debet, quod Bernardinus sub uno saltem respectu quandam exceptionem praesentat. Erat alienigena, tamen ad digni-

tates et officia apud nos assumptus tempore, quo multa contra tales fulminabantur (Ostrorôg). Erat Italus, Itali vero exeunte Medio Aevo in Poloniam in dies frequentiores, hic humanismum introducebant. Centrum erat sane Callimachus. Persona eius sub hoc respectu qua initiatoris humanismi, quantum scimus, nondum ex professo tractata est. Ad hoc bene exarandum, opus erit totam coloniam Italarum apud nos bene cognoscere, quod adversus varia opuscula nondum undequaque absolutum est. Tali respectu quoque accurata delineatio nostri Bernardini non paulum valet.

Esset ergo meritum d. K., si non nisi ipsum Bernardinum accurate descripsisset. Quod et fecit, nonnullasque mendas reparavit: Nomen eius recte declaravit Gallellum, non Gallum, a Gallo de Racibôrz, vladario episcopi, distinxit, huiusque vitam enarravit. Sed ulterius processit. Personam Galli in late sumpto orbi Polono ecclesiastico collocavit. Libro suo Latine scripto et etiam pro extraneis destinato, imprimis dedit introductionem de potentia et auctoritate Poloniae et Jagellonorum familia, tum de Italis in Polonia. Post explicavit evolutionem legislationis nostrae circa personas ad capitula cathedralis non admittendas, disseruit de cumulatione beneficiorum, de origine vicariorum et officialium generalium dioecesis Cracoviensis. In his omnibus tractatis bene expertum canonistam vidimus, expositionem eius clare confectam, nonnullos errores praedecessorum (e. g. Zachorowski) rectificatos. Tali modo liber d. K. non solum mere historicam investigationem prae se fert, sed etiam pro iuris canonici apud nos historia pretiosam collationem affert.

Nec denique hoc magnum meritum auctoris sileamus, quod opus suum ex manuscriptis potissimum deprompsit, et id ex actis tam difficulter adeundi Archivi Curiae Cracoviensis. Quantum scimus, non solum perdifficile est aditum in illud obtinere, sed etiam eo obtento laborare pauci spatii et insufficientis ordinationis causa; gratulamur d. K. quod eo uti potuit, et laetamur, quod tam bonum usum fecit. Tanto plus miramur, quod ei capituli Cracoviensis Archivum inaccessibile mansit, miramur et dolemus, nequaquam intelligentes talem modum procedendi eorum qui huius archivi curam habent. Si forsitan adsunt quaedam controversiae inter eos et d. K., nonne in conspectu amoris scientiae silere deberent?

Adiungimus hic desiderium d. K. non desinere in suis investigationibus materiarum Archivi Curiae, sed eas continuare et nobis adhuc multa ignota ex eo praebere.

In specie unam quaestionem sublevamus. Diversis actionibus Bernardini descriptis, d. K. silet de eius cum religiosi relatione. Forsan in actis nihil invenit, quod non est mirum, religiosi enim maxima ex parte exempti erant a iurisdictione episcopali. Forsan vero adsunt quaedam minima, quae secundum notum proverbium auctor praetermittere statuit. Possent vero sub uno respectu etiam

minima non parvum valere, nimirum si adesset quid de relatione Bernardini cum Franciscanis Conventualibus. Inter hos frequentes quoque Itali erant, tempore Bernardini ipse minister provinciae Fantinus † 1516. In eorum ecclesia colonia Itolorum suas devotiones persolvebat, in capella Ungarorum, post Itolorum dicta; Franciscani quoque curam animarum Itolorum exercebant. Alia ex parte scimus de duobus processibus his annis in curia Cracoviensi in causa Franciscanorum absolutis: primus concernebat Antonium de Poznania dictum Dus, qui a Bernardinis ad Franciscanos apostataverat, cuiusque processus exstant duo diplomata in Archivo provinciali Bernardinorum Leopoli ex annis 1512 et 1513, totius quidem processus acta asservantur a p. Bogdalski Cracoviae, inaccessibilia vero manent; secundus agit de nece iam nominati Fantini; uterque ab episcopo suffraganeo Joanne Amicino (1503—26) iudicatus est. Ergo exemptio non omnino relationes iudiciarias inter curiam et ordines mendicantes excludebat.

An d. K. totum exhausit, quod in materia sui thematis habere potuit, non potest cum absoluta certitudine affirmari, quia in manuscriptis non facile accessibilibus rem suam texuit. Tali in casu, secundum communem regulam auctori credendum est, nisi aliunde constat vel defectus eius scientificae methodi dubitare iubent. Methodus d. K. sine opprobrio est. Non opinamur eum omisisse quaedam notabilia saltem nec male intellegisse fontes.

In fine gratias ei agimus pro tali opere absoluto, pro hoc, quod id Latine conscribens operam non veritus ut id etiam extraneis pateret, pro hoc denique, quod suo proprio sumptu id edidit, quod tanto plus honoris ei affert, quanto certum est libros scientificos in misero hodierno statu oeconomico emptores vix sperare posse.

Pińsk

K. Kantak.

Fasciculus 3 edetur calendis Julii 1935.

Permissu Curiae Metropolitanae Lat. Leopoliensis.

Foliorum Redactor: ALEXIUS KLAWEK — Lwów, ul. Supińskiego 11, m. 4.

ZWIĄZKOWE ZAKŁADY GRAFICZNE LWÓW, UL. KRZYWA 10. — TEL. 290-05.